



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Disputatio VI. De Visu, ejusq[ue] Objecto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

DISPUTATIO SEXTA.

De Visu ejusque Objecto.

P Rinceps inter sensus alios externos est visus, cujus organum est oculus, qui constat tribus humoribus, tunicis quinque, musculis septem, &c. Sed quia de oculi fabrica, inter cetera Dei opera multum sanè mirabili, ad medicos spectat tractare, id consultò hìc omitto. Quare sit

DUBIUM I.

Quid visus, & quodnam ejus objectum?

RESOLUTIO I.

I. Ico 1^o. visus est potentia sensitiva coloris. Ita omnes communiter.

RESOLUTIO II.

II. Ico 2^o. Objectum visus est color.
IV. Probatur experientia, quia quidquid per visum sentimus, color est & lumen: ergo, &c. Vnde etiam visum non malè definies sensum externum perceptivum coloris.

DUBIUM II.

An color & lumen realiter inter se distinguantur?

RESOLUTIO.

V. Ico contra Suarem, Conimb. Rubium, Murciam, Toletum, Comptonum, & è Thomistis nominatim PP. nostros Complutenses: color & lumen inter se realiter non distinguuntur, sed color est lumen in subiecto receptum, ab eoque prout talis vel talis naturæ specificatum. Quare de nocte, nec sanguis est ruber, nec cygnus albus, sed noctu colores omnes, abeunte sole, pereunt: Ita Plato in Timæo, Avicenna lib. 6. p. 3. cap. 1. Averroës hic textu 7. Coment. 65. Alexander lib. 1. qq. naal. q. 1. Virgilius Æneidos 6. *Rebus nox absulit atra colores.* Albertus Magnus lib. de sensu & sensibili tract. 2. cap. 1. Cajetanus hìc lib. 2. cap. 7. Iavel. Soncinas, Capreolus, Cardanus lib. de Gem. & color. &c. Et nuperrimè D. Fromondus de Anima lib. 3. cap. 3. art. 3. ubi sic habet: Et sanè si res revocetur ad limam, non erit tam absurdus, quam appareret primà fronte, qui dixerit à nocte auferri & extinguì colores rerum, sicut ipsa extinguit diem & solis lumen: imò Albertus rerum naturalium scientià verè Magnus Opinionem vulgi appellat illam, quæ tenebris colores regi, non auferri, existimat. Sed ante hujus resolutionis probationem, quæ non satis sanè, hodie à nonnullis, contra omnem experientiam insana dicitur, & contra omnem autoritatem exotica: audiant isti, obsecro, Apostolum ad Ephes. 5. *Omne quod manifestatur lumen est:* Augustinum lib. 10. Confess. cap. 34. ubi lumen vocat reginam colorum; imò Ecclesia canit: *Rebusque jam color redit; vultu nitentis syderis.*

VI. Suppono nihil esse contra experientiam & rationem, si dicatur cujuslibet corporis luminosi

R. P. Francisci Bone Spei Physica.

lumen posse, simul efficienter concurrente subiecto, in quo est, emittere in oculum speciem diversæ speciei, pro diversitate specifica temperiei subiectorum, in quibus est, sufficientis ad producendos diversos colores, ut rectè probat Thomas Hurtadus præcurf. Philosoph. S. Thomæ, Meteorum cont. 1. memb. 9. *Principium veri coloris in actu, inquit, est perspicuum aliquo modo terminatum in ratione materie, & lumen ibi existens actu, in ratione forme.* Sed ista ambo sunt in Iride, sive in eo, in quo apparet Iris. Ergo sequitur, quòd cum in Iride sint actu omnia principia veri coloris, sint ibi veri colores. Licet color ibi habeat esse debile, quia principia ejus non sunt ita permanentia, sicut in corporibus mixtis terminatis; in quibus principia coloris consequuntur principia intrinseca corporis mixti. Si enim in genere causæ efficientis, secundum omnes, possit sol pro diversitate concausæ diversos effectus producere, quorum aliqui ipsum significant ut ranæ productivum, alii ut auri, gemmarum, &c. quidni in genere causæ exemplaris objectivæ poterit lumen, pro diversitate concausæ specierum visualium productivæ, diversas sui species emittere quarum aliquæ ipsum repræsentent ut nigrum, aliquæ ut album, &c. Videtur enim omnimoda paritas, idque experientia, quæ domos videmus virides ex reflexione arboris viridis, & objecta rubra per vinum aut vitrum rubrum, convincit: neque hinc magis sequitur, temperiem illam speciei visualis concausam, fore visibilem, quàm causam gravitatis sui ipsius speciem fore tangibilem, aut causam soni sui ipsius speciem fore audibilem; quia sicuti quantum experientia docet, hæ non sunt tangibiles vel audibiles, ita nec illa visibilis. Hoc supposito,

VII. Probatur 1^o. nec ratio, nec experientia docet colorem & lumen inter se realiter distingui, sed contrarium: Atqui entia non sunt citra rationem, aut experientiam, realiter distinguenda; ergo, &c. Consequentia patet. Minor passim admittitur.

VIII. Probatur major 1^o. quia ratio docet nos eodem jure, quo adversarii cognoscunt temperiem aliquam accidentium sufficere ad conproducendos in entibus diversos colores, dicere posse illam ipsam temperiem ad conproducendas luminis in entibus recepti diversas species sufficere: non enim major virtus ad has species, quàm ad illos colores conproducendos requiritur: sed hoc dato, frustra sunt colores distincti à lumine; quia tales species lumen repræsentabunt coloratum, album, nigrum, &c. ut in supposito ostensum est: unde colores non erunt quid aliud, quàm ipsum lumen à tali, vel tali temperie subiecti luminis specificatum, ergo, &c.

IX. Probatur major 2^o. quia ratio & experientia docet illud esse realiter colorem, quo præcisè posito quantum experimur, est color, & quo præcisè ablato, quantum experimur, non est color: sed præcisè posito lumine à tali vel tali dicta temperie subiecti specificato, quantum experimur, est color, & eo ut sic præcisè ablato, quantum experimur, non est color (siquidem experientia actualis, quam pro illo tempore habemus, non fertur in colorem, unde si lumen numquam nos illuminasset, de coloribus nihil unquam cogitasset) ergo, &c.

H h

Nec

x. Nec respondeas numquam præcisè poni lumen à tali temperie subiecti specificatum; sed semper cum colore ante posito, & novâ specie coloris ab illis realiter distinctâ. Quia (præterquam quòd nulla sit necessitas colores & oculorum species ibi sine numero multiplicandi, ut constat ex præmissis) talem distinctionem realem per experientiam non cognoscimus; siquidem numquam experimur colorem realiter separari à lumine à tali dicta temperie specificato; imò nec per rationem, quia docet ratio esse superfluum illud, quo absente, habetur totum, quod haberetur ipso præsentè: sive verò adsint, sive absint colores & colorum species à lumine realiter distinctæ, habetur objectum medio lumine album, nigrum, &c. item consequenter, tam diversarum entium visiones, ac si adesent, ut ante diximus.

xi. Probatur 2^o. resolutio; fundamentum nulum est distinguendi colores in veros & apparentes; sed juxta contrariam sententiam oportet illos ita distinguere, ergo, &c. Probatur major, quia non est ratio cur dicamus in iride non esse, tam veros colores, quàm sint in herba, igne, &c. nam idem lumen directum, quod in herba dicitur color viridis; item idem lumen directum, quod in igne dicitur color ruber; in iride ex herba, vel simili corpore reflexum, similiter dici potest color viridis, & sic de aliis, ergo, &c.

xii. Nec dicas cum P. Poncio hoc esse fundamentum distinguendi colores in veros & apparentes, quòd apparentes non sint stabiles, sed ad diversam applicationem lucis apparent diversi; veri autem sunt stabiles. In contrariu enim est, quòd illi, quos Poncius vocat veros colores, non sint stabiles, sed ad diversam applicationem luminis appareant diversi; nam si albedinem parietis videas medio lumine recepto in vitro flavo, videbis flavam, si in vitro rubro, rubram; unde mirum non est, si illi, quos vocat apparentes colores, non sint stabiles, sed ad diversam applicationem luminis reflexi ex diversis corporibus appareant diversi: deinde sicut colores, quos vocat veros, desinunt, desinente lumine reflexo in ipsorum subiecto recepto, & ipso manente manent; ita illi colores, quos vocat apparentes, desinunt tantum desinente lumine reflexo in ipsorum subiecto recepto, & ipso manente manent.

xiii. Quæres an sit verus color, quem video, dum video per vitrum rubrum parietem album ut rubrum?

xiv. Respondeo me videre verum colorem tantum, scilicet lumen vitri, quod est rubrum, & lumen parietis, quod est album; cum hoc tamen discrimine, quòd lumen parietis mihi non distinctè appareat, quia illud intueor medio lumine rubro, quod visui, quantum experientia docet, omnia representat rubra.

xv. Confirmatur ex Aristotele 2. de anima, textu 67. color est movens, id est ponens diaphanum in actu, & hæc est ipsius natura; atqui juxta eundem ibidem textu 68. diaphanum est in actu per lumen, & id secundum quod diaphanum est in actu, est color juxta hæc, quæ subdit, lumen autem ut color, est diaphani secundum quod actu diaphanum est; non enim posset clariùs loqui Philosophus: idem tamen videtur confirmare velle de sensu & sensato, cap. 3^o. quare color utique erit perspicui (scilicet actu) extremus; perspicuum verò secundum quod actu tale ut vidimus, est lumen ut color; & hinc est 1^o. quòd

oculus in luce existens non videat objectum in tenebris existens: quòd enim alii respondeant debere objectum esse illuminatum ad hoc ut emittat speciem, pro nostra sententia facit, quia cur hoc? nisi quia lumen solum est visibile: hinc è contra est 2^o. quòd oculus in tenebris existens videat objectum in luce existens, ut experientia patet; incredibile enim est candelam noctu eminus mediâ leucâ visam illuminare totum medium, quod alioqui dicere deberent, quia juxta illos objectum non producit speciem, nisi per medium illuminatum; alioqui, inquit, objectum videretur in tenebris existens, contra experientiam, quod contra nos dicentes colorem esse lumen, nil urget; ergo, &c.

xvi. Nec dicas Aristotelem ibidem clarè supponere lumen distinguì realiter à colore, cum dicat, unde color non est visibilis sine lumine, propter quòd de lumine 1^o. dicendum est: Quia ad hoc ut Aristoteles 1^o. dicat de lumine, non est necessaria distinctio realis inter lumen & colorem, sed sufficit rationis, quam libenter admittimus esse; cum verò ibidem textu 71. dicit: non autem omnia visibilia sunt in lumine, agit de visibilibus remotè & potentiâ; subdit enim: sed solum uniuscujusque proprius color, quasi diceret non omnia visibilia esse visibilia proximè, sed solum uniuscujusque colorem, visibile autem proximum est ipsum lumen, ac proinde uniuscujusque proprium colorem à lumine non distinguì.

xvii. Objicies 1^o. ex Poncio quòd terè est fundamentum Arriagæ Disp. 5. de anima; num. 41. si veri colores non distinguuntur à lumine, non deberent semper apparere eodem modo ad quamcumque illuminationem lucis, aut luminis; sed secundum experientiam apparent semper eodem modo, ergo, &c.

xviii. Respondeo negando sequelam majoris: quòd enim semper appareant eodem modo, ratio est. quòd semper sit lumen, cui identificantur in eodem subiecto; nam illud (utpote accidens) naturaliter non migrat de subiecto in subiectum; subiectum verò, ut supra diximus, secundum suam temperiem concurret cum lumine inadæquatè efficienter ad productionem speciei luminis, quæ est luminis diversimode representativa, pro diversitate subiecti temperiei, sufficientis, in communi sententia, hunc vel illum colorem producere. Hinc

xix. Ulterius patet ad id, quod addit Arriagæ, si albedo v.g. papyri, non distinguatur à lumine, esset impossibile, ut in quacumque luce semper appareret albedo. Dum verò confirmat, quia color iridis non est distinctus à luce, ideo non est fixus ac permanens, decipitur, non attendens colorem iridis, seu lumen iridis, non esse quamcumque lucem, sed reflexam ex alio luminoso colorato, modo supra dicto; quo fixo & permanente, fixus est & permanens etiam color iridis, utpote ab eo solo nomine distinctus. Deinde ex allata solutione ulterius

xx. Patet ad fundamentum P. Telles ab experientia: visus distinguìt in objecto lumen & colorem; videt enim duo objecta æqualiter illuminata & æqualiter à luce distantia, quorum unum est album, aliud nigrum, vel quorum unum intense est album, aliud remissè: Respondeo enim id provenire ex diversâ & activiori temperie subiecti inadæquatè concurrentis ad speciem producendam, ac proinde, experientiam quidem docere, visum attingere lucem, cui identificatur color, non verò distin-

distinguere in objecto lumen & colorem.

Denique ex eadem solutione

xxi. Patet ad fundamentum P. Huradi: homo ad solis lumen colores mutat, & in ipsis radiis solaribus nigrescit immutata manente luce. Quando enim nigrescit homo ad lucem solis, non quidem mutat lucem ut lucem, sed mutat lucem ut tali vel tali temperie specificatam, quæ species tunc mutatur, sicut & subjecti temperies, à quâ inadæquatè producitur; unde & mutatur color, sive lux: sicut enim color in genere, nihil est aliud, quàm lux sub sua specie impressa in genere, ita lux in particulari nihil est aliud, quàm lux sub tali specie impressa in particulari, quæ tunc mutatur: è contra, quia in marmore temperies sufficiens ad producendos & conservandos marmoris colores, non mutatur in luce, fit ut in luce semper idem sit marmoris color.

xxii. Objicies 2º. valde ridiculum est scripturas noctu non esse & deleri, accedenteque luce esse de novo & reponi; an forte lux est scriba? ergo consequenter allata sententia est ridicula.

Respondeo distinguendo antecedens, valde ridiculum est scripturas omnes de nocte non esse & deleri, quoad subjectum immediatum suorum colorum, concedo; nam non est causa, quæ illa subiecta, in quibus immediatè sunt scripturarum colores, destruat: quoad colores suos remanentibus subiectis immediatis, ita dispositis & localiter sitis, ut erant sub suis coloribus, nego; quia cum à luce non distinguantur, id necessarium est. Quòd verò luce accedente reponantur ut ante, & sint ejusdem coloris & eodem modo formatæ quo ante, mihi non mirum; quia id provenit ex determinatione ipsius subiecti istorum colorum immediati quod manet formatum ut ante: hic enim advertendum est colores scripturæ non esse immediatè in charta tanquam subiecto, sed in illa materia, in qua sunt, scilicet atramento.

xxiii. Objicies 3º. ex P. Comptono de anima Disp. 14. sect. 2. Decrescente lumine, imò valde jam imminuto ac remisso, color, rubedo, ex gr. apparet æquè intensa, licet minus clarè cernatur, ergo manifestè videtur rubedinem, & alios colores permanentes, esse aliquid realiter distinctum à lumine: alioqui, quò gradu lux decrescit, decresce-

ret color, cum forent idem; clarissimà tamen experientià constat contrarium; nec ad id probandum alio opus est quàm oculis. Hoc argumentum (inquit) existimo esse efficacissimum. Secundò, sequitur in interioribus partibus auri, argenti, æris, marmoris, & similibus, nullum omninò esse colorem, cum lux eò non pertingat. Ita ille.

xxiv. Respondeo decrescente lumine non decrescere colorem, quoad intensionem, quia species visualis colorum non est à solo lumine sed partim etiam à luminis subiecto, quâ diaphano, sive perspicuo: unde, cum semper sit eadem subiecti diaphaneitas, nisi lumen notabiliter decrescat, non apparet notabilis decretio coloris, sed modica valde, prout omnes vesperi experiuntur. Vnde non video quâ ratione hoc argumentum putetur efficacissimum. Totum verò quod de interioribus partibus, auri, argenti, &c. experiri possumus, est quòd sint intra diaphana, sicut extra, non verò quòd sint se solis colorata, quia nequidem extra talia esse, probatum est supra.

D V B I V M III.

Quid lumen?

R E S O L U T I O.

xxv. **D**ico lumen, quod solo nomine à luce distinguitur, est qualitas solo visu sensibilis: vel juxta Aristotelem de anima lib. 2. cap. 3. est actus diaphani, sive perspicui, quâ ratione perspicuum est: perspicuitas enim, saltem negativa, omnino est necessaria dispositio ad lumen recipiendum. Hinc

xxvi. Collige 1º. contra nostros Complutenses lumen malè definiri actum perspicui ut illuminati; quia cum illuminatum involvat lumen, definitum ingreditur suam definitionem, & definitio manet æquè obscura, ac ipsum definitum.

xxvii. Collige 2º. contra P. Poncium malè definiri lucem, qualitatem ex se visibilem independentem ab alia qualitate, quæ non sit species intentionalis consequens naturam sui subiecti, &c. quia continet multa superflua, sufficitque, si dicat esse qualitatem ex se visibilem; nam cætera addit, ut excludat colorem, quem malè à luce realiter, ut vidimus, distinguit.

A P P E N D I X

Circa Species Visus.

D V B I V M I.

An lumen, sive color visui immediatus sit sibi ipsi species impressa sic ut sine alia realiter distincta videatur.

R E S O L U T I O.

xxviii. **D**ico, lumen sive color visui immediatus sine specie impressa videtur. Sed ante hujus Resolutionis probationem,

xxix. Suppono per speciem visibilem hic intelligi qualitatem luminis, sive coloris, repræsentativam; quia ob id muneris rectè à nonnullis dicitur luminis, sive coloris, imago, similitudo, vicaria, &c.

non quidem in essendo, sed in repræsentando: dividitur autem communiter in impressam & expressam; impressa est illa, quam lumen, sive color immediatus, in visum imprimit ad causandam sui visionem: expressa verò est visio luminis, sive coloris, quam anima in se exprimit. Hoc supposito,

xxx. Probatur, quia lumen, sive color visui immediatus, est ex se visibilis, & sufficienter potentia visivæ approximatus; ergo, &c.

xxxi. Confirmatur, communiter negant auctores objectum gustus & tactus sentiri per speciem realiter distinctam, quia non sentiuntur nisi realiter contigua & proximè applicata sensui; ergo, &c.